



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber De Regno Dei, De Qvo Christvs Loqvvtvs Per Dies quadraginta

Flavin, Melchior de

Parisiis, 1566

De captiuitate peccati, à qua vindicati per Christum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29986

obnoxij Deo redemptionis beneficio
quam creationis. Ideo, Esa. 64. Exerta vo-
ce clamât, torcular calcaui solus, qui vo-
luit fieri homo pro reparatione ipsius
Adæ qui voluit esse Deus.

Esa. 64.

*De captiuitate peccati, à qua vindi-
cati per Christum.*

CAP. 14



nter eximia quæ consequuti
sum⁹, victrice illa Christi mor-
te, est gratia, quam benedi-
tionē vocat sermo Hebræus

בְּרַכָּה de qua Gen. 22. In semine tuo bene-

Gene. 22.

dicetur omnes gentes, id est donabuntur

gratia & recōciliatione cū patre, Rom. 5.

Rom. 5.

2. ad Corint. 5. & ad Ephe. 1. per illam de-

2. Cor. 5.

uenimus ad gratiam illam cōsummam,

Ephes. 1.

& regnum cœleste, quod iure belli nobis

acquisiuit, non sibi. Nam ceu filius Dei

heres erat vniuersorū, Heb. 1. 2. & 3. Ideo

Heb. 1. 2. 3.

proficiscēs ad mortem dicit, Luc. 22. Ego

Luc. 22.

dispono vobis morte mea regnum, sicut

disposuit mihi pater, & Ioan. 14. vado vo-

Ioan. 14.

bis parare locum. Alterū beneficium est

liberatio à captiuitate peccati, & quidem

grauissima, de qua Ioan. 8. Rom. 6. & 7.

Ioan. 8.

& ad Tit. 2. Illa siquidem seruitus eo gra-

Ro. 6. & 7.

Tit. 2.

Ioan. 1.

uior est quo vilior primum quia peccatū nihil est ex Augu. Ioā. 1. Sine ipso factū est nihil, id est peccatum, quod est duntaxat priuatio boni. Quādoquidem ens & bonum conuertuntur primo Eth. Vnde quia peccatū nihil habet entis, nec ideo bonitatis: ex August. de natura boni & Ansel. de conceptu virginali. Omnia siquidem facta à Deo sunt bona Genes. 1. Atqui peccatum non est à Deo. Non est igitur neque bonum, neque ens. Quare melius est esse seruū diaboli, qui est substantia, quàm peccati. Aliud quod nos reuocare debet à seruitute peccati est tyrannis eius in eos qui subsunt eius imperio. Nam primum eos excæcat 3. Eth. omnis malus ignorans: & Sapient. 2. Excæcauit eos malitia eorum Roman. 1. & Ephes. 4. Item serui eius nunquam satiantur. Luc. 15. de filio exitij, qui nunquam potuit satiari in regione peccati. Item ab illa seruitute nullus potest semetipsum asserere viribus suis, non redire ad iustitiam, non vtique habere illam voluntatis rectitudinem & libertatem, quā possit esse & viuere absq; peccato. Adhæc liber est causa sui. At seruus alterius gratia pro quo la-

Sapient. 2.

Rom. 1.

Ephes. 4.

Luc. 15.

borat illi obedit. & Matth. 6. Nemo po- *Matth. 6.*
 test duobus dominis seruire. Vnde non
 promeretur neque gratiam neque glo-
 riam, quandiu viuit sub peccati tyrānide. *Matth. 7.*
 Matth. 7. non potest arbor mala bonos *Luc. 11.*
 fructus facere, & Luc. 11. qui non colligit
 mecum dispergit, Per totam noctem la-
 borātes (inquit) nihil cepimus. Amissum
 enim est tempus nobis quo sumus in pec-
 cato. Cæterum verberat & pūgit assiduè
 Esa. 63. 66. & Mar. 9. Vermis eorum non *Esa. 63. 66.*
 morietur vnde August. 1. Confessionum, *Marc. 9.*
 Iussisti Domine & sic est vt pœna sua sit *August. 1.*
 sibi omnis inordinatus affectus: peccatū
 enim adducit mœrorem quemadmodū
 & opus bonum, lætitiā 9. & 10. Eth. Et
 Prouerb. 16. securā mens quasi iuge con- *Prouerb. 16.*
 uiuium: item seruus peccati omni mo-
 mento est in timore. Leuit. 26. & Deut. *Leuit. 26.*
 28. Dabit tibi Dominus cor pauidum & *Deut. 28.*
 Prouerb. 28. Fugit impius nemine perse- *Prouerb. 28.*
 quente. Adde etiam quòd peccatum de-
 tinet assiduè seruos suos funibus vinctos
 de quibus Psal 118. Funes peccatorū cir- *Psal. 118.*
 cumplexi sunt me. & Prouerb. 5. Funibus *Prouerb. 5.*
 peccatorum quisque constringitur: de
 quibus Esa. 52. & 58. Illa vincula sunt pri- *Esa. 52. & 58.*

2. *Tim.* 3. mùm voluptas. 2. ad *Timoth.* 3. Voluptatum magis amatores quàm Dei Hieron. Ferreas mentes libido domat: secundo presumptio de Dei misericordia: Item 3. desperatio de venia: sed quartò aliorum exempla. Ecce quæ detinent hominem in peccato. Aliud quod nobis ostendit illius seruitutis immanitatem sub peccato, est quod vnus peccati seruus, statim fit seruus multorum. Nam peccatum vnū est pœna alterius peccati. *Rom.* 1. Malum siquidem malum trudit, vt est in prouerbio. Peccatum enim quod per pœnitentiam non diluitur mox suo pondere ad aliud trahit. Quanto plus homo manet in peccato tanto plus se inuoluit vt auis in visco. Nam cum sit extra gratiam & protectionem Dei, non potest à peccato abstinere cum lex carnis continuò operetur opus suum. *Rom.* 7. & *Gal.* 5. nisi adsit lex spiritus. Illa equidem lex carnis rationis iudicium peruertit, & facit vt voluntas trahatur ad appetitum sensitium, & ex rationali facit animale, destruit etiamnum corpus, & animam cum potentiis. Item peccatum diu obductum deducit ad publicum scelus, vt puniatur

Rom. 1.

*Gregor. in
Ezech. &
25. Moral.*

Rom. 7.
Gal. 5.


à Deo. De utroque ut constat ex parcemia
 peccatum antiquum noua confusio. Vi-
 de quî Dauid, Petrus, Iudas, ex vno pec-
 cato lapsi, in alia alioqui grauiora. ex diu-
 turnitate etiam peccati sequitur indura-
 tio incurabilis. Hierem. 5. & Iob 41. Opus Hi rem. 5.
 est enim à Deo trahi Ioã. 6. & donari gra- Iob. 41.
 tia à Deo per Christum. Demum sequi- Ioan. 6.
 tur longè grauius reatus scilicet & obli-
 gatio ad pœnam æternam quæ à Deo of-
 fenso & iudice remittitur quando iusti-
 ficamur gratia Dei quàm fide Christi cõ-
 sequimur. Et ut paucis absoluamus, pec-
 catum aufert gratiam, qua iustificamur,
 & qua in baptismo donati sumus: addu-
 cit culpam per quam peccator est in ira
 Dei, & debitor pœnæ æternæ. Et demum
 tertio nulla eius opera sunt grata Deo di-
 gna vita æterna. i. ad Cor. 13. Si tradidero 1. Cor. 13.
 corpus meum ita ut ardeam, si impartitus
 fuero omnes facultates meas, charitatem
 autem non habuero, nihil mihi prodest.
 Captiuatur volûtas à cõcupiscẽtia. Ro. 7. Rom. 7.
 ut non possimus prestare quod volumus.
 Cum enim dominatur concupiscentia,
 non parcit mater filio: quod pater de Se-
 miramide cõcubente cum filio proprio,

1. Reg. 3.
 Genes. 35.
 & 49.
 2. Reg. 16.
 1. Reg. 21.
 Dan. 4.
 Rom. 7.
 Ioan. 8.

qui tandem eam trucidauit. Amon cum
 forore, 2. Re. 13. Rubē cū nouerca, Gen. 35.
 & 49. Absalon cum concubinis patris,
 2. Reg. 16. Patet etiam de irascibili vi in
 Saule contra sacerdotes Domini, primi
 Reg. 21. Captiuatur etiam sensus ob pec-
 catum, vt cernere est in Nabucod. qui fa-
 ctus vt bos, Dan. 4. Per peccatum etiam
 ex regibus fiunt serui. Patet de Ieconia,
 Balthaf. & regibus Palestinæ, quos sube-
 git Iosue & intercudit. Passiones siquidē
 peccatorum fructificant morti. Rom. 7.
 Animaduerte quæso quàm lōgè grauior
 sit illa peccati captiuitas & seruitus Ægy-
 ptia & Babylonica, à qua non Moyfes,
 non Cyrus, non Esdras, qui & Malachias
 secundum Hebræos, nec alius quisquam
 liberat, sed solus Christus, qui dicit, Ioã. 8.
 Si filius vos liberauerit verè liberi eritis.

CAP. 15. *Quomodo per Christum liberati su-
 mus à peccati captiuitate.*

Rom. 8.


 Hristus veniens in similitudi-
 nem carnis peccati, Rom. 8. de
 peccato, id est de se ipso, facto
 hostia, pro peccato damnauit
 peccatum. Apud Hebræos enim eodem
 nomine